

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Eilhard Lubin

**Programma In Funere ... Matronae, Annae Radenitiae ... Johannis Tileken,
Coniugis, 8. Septembris pie in Christo defunctae, publicatum 12. Septemb. Anno
1615.**

Rostochi[i]: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775828130>

Druck Freier  Zugang



Lubinus, E.

in

A. Radenitiam,

uxor. J. Tileke.

Rostock, 1615.

Programma
IN FVNERE HONESTISSIMÆ
Et optimæ Matrone,
ANNÆ RADENITIÆ

honestissimi & integerrimi Reip: Ro-
stochiensis civis,

JOHANNIS TILEKEN,

conjugis, 8. Septembris p̄c in Christo defuncta, publica-
tum 12. Septemb. Anno 1615.

RECTORE

EILHARDO LUBINO.



ROSTOCK

Typis suis exscrispsit JOACHIMUS PEDANUS,
Acad. Typog. Anno M. DC. XV.

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
EILHARDUS
LUBINUS.
S. Theologiæ Doctor & Professor.

Dulcissima, & Christianæ
consolationis plenissima extat
vox illa Apostoli; Si in hac solum
vitâ speramus in Christum, miserrimi
omnium hominum sumus. Quotidijq;
enim Christo nomen dederunt,
& se Christi esse non nomine so-
lum, sed etiam re ipsâ testantur
& præstant, dupli nomine in-
hâc vitâ miseri sunt, Tum quia homines sunt, tum
quia Christiani sunt. Et homo quidem quâ homo est,
nullis non miserijs & calamitatibus hujus vitæ potest esse
expositus. Et cujus calamitatum centesimæ partis hoc
loco recensendæ exiguae hujus pagellæ angustia neuti-
quam sufficerit. Nulla pars est ætatis vitæ mortaliūm,
quæ suas calamitates secum non trahat, & indies expe-

A 2

riatur,

riatur. Statim à principio ut primū natus est infans,
plorat, & suam vitam cum lacrimis auspicatur, quasi
suæ miseriæ præscius, nimirum,

Cui tantum in vitâ restet transire malorum.

Et quæ tandem non premit infantem molestia, quando
vel fame, vel siti, vel frigore vel calore, urgetur? Et quæ
calamitas eo miseror eit, quod illam infans verbis ex-
primere, & quid doleat, nulli conqueri possit; sed fle-
tum miserabilem suæ anxietatis querelam & solatium
tantum habeat. Mox succedunt aliæ calamitates cum
ab überibus matris vel nutricis abigitur & ablacta-
tur; Mox cum custodibus, pædagogis, & ludimagistris
instituendus traditur. Ubi semper sub ferulâ & metu
præceptorum degendum eit, qui eo major est, quo præ-
ceptorum plerorumq; major est in exigendo discipulorum
officio severitas & vehementia. Jam porro quodcunq;
vitæ iter quisquam ingrediatur, quo cunq; aliquis se
convertat, ubiq; cura & sollicitudo sese offert. Si quis
ad causas dicendas & forum se conferat, molestis alio-
rum litigij se & vitam suam atterit, ac conficit. Si quis
agriculturam exerceat, præter concatenatos labores &
molestias in circulum revertentes, semper habet de quo
conqueratur, de nimio vel frigore, vel calore, vel plu-
via, vel siccitate. Si quis domi agat perpetua rei fami-
liaris sollicitudo eum premit; Si quis peregrè degat, sive
abundet, sive egeat, non deerit quod vel metuat vel
dolet. In conjugio rei familiaris perpetua cura semper
eum exercebit. Sine conjugio solitudo, ignavia, &
deniq; contemptus illum comitabitur. Rursus in conju-
gio, si quis liberos suscipiat, quibus ærumnis ac diffi-
cultatibus illi edacentur, testari illi possunt, qui expe-
riuntur.

riuntur. Et rursus si quis sterile & minus fœcundum
experiatur conjugium, sibi relictus ac desertus, & Deo mi-
nus carus videtur, & vitæ stœ solitudinem & orbitatem
queritur & damnat. Deniq; juvenilem ætatem comita-
tur inconsulta temeritas, & pravarum voluptatum con-
fessatio, quâ multas sibi & alijs molestias creat. Seni-
lis autem ætas præterquam quod multorum morborum
sentientiam semen trahit, ipsa in se morbus est. In quam-
nimirum confluit, quidquid in universâ hominis vitâ
fragile & infirmum est. Sic, ut una cum vitâ & ætate,
hominis semper ærumnæ & calamitates crescant, & prio-
ra vita incommoda præ sequentibus & posterioribus,
præsertim senectutis molestijs, jocosa ac puerilia fuisse
videantur. Quod nisi quis ocyus vitam velut æs alien-
num reddiderit, astans supra caput natura tanquam fæ-
nerator reposcit usuram, ab alio quidem visum, ab alio
auditum, ab alio utrumq; ab alio omne corporis robur, ut
ad sustentandum debile & emarcidum corpus jam non
unus baculus sufficiat. Alij etiam in senectute repuera-
scunt, & senes jam bis pueri evadunt. Quo accedunt
innumeræ aliæ calamitates, quibus miseri mortales vel
tanquam peccatis, vel peccatorum poenis semetipsoſ
& alios addigunt. Et hæc vitæ humanae miseria omni-
bus hominibus est communis, tam pijs, quam impijs.
Ubi tamen illud ubiq; discriminæ apparet, quod pijs sub
illis, tanquam aurum sub'igni, rutilent, impijs verò tanquam
paleæ fument; illi tanquam frumenta sub tribulâ pur-
gentur, hi tanquam stipulae comminuantur. Piorum
verò & Christianorum in mundo conditio longè est mi-
serrima. Qui cum de mundo non sint mandus illos tan-
quam alienos odit. Et ideo in mundo versantur, ut oves
in medio luporum. In mundo pressuram habentes.

A 3

Et

Et odio sunt omnibus hominibus, & non possunt non Per
varios casus per tot discrimina rerum, per multas tribu-
lationes ingredi in regnum cœtorum. Ideò autem Deus
suos severius in hac vita exerceat & tractat, quia diligit
illos, & sibi præparat. Dominus enim filium quem dili-
git castigat, & quidem in hâc vitâ, ne hic impune eva-
dens æternas alterius vitæ, vel mortis potius, pœnas pen-
dere cogatur. Et hæc conditio est omnium hominum
& imprimis Christianorum, quibus nisi post hujus vitæ
miserias, alterius post hanc melioris in spe esset reposita
vita, longè utiq; præstabilius & optabilius foret nunquam
nasci, quam nasci ad calamitates ac miseras. Longè
etiam tolerabilius esset conditio brutorum animalium,
quæ vix centesimam talium calamitatum partem in vitâ
sentiunt. Verum enim verò Christiani in hoc mundo
inter medias miserias & calamitates ideo suspirare de-
bent, quia illuc debent adspirate ubi omnium horum
vicissitudo est, gaudium sine luctu, & vita sine morte,
& illa beatitudo, quam nulla humana ratio assequi potest.
Ab hac autem miseriâ ad illam beatitudinem non nisi per
mortem fit transitus, quam homo quidquid mortale, car-
nale, & mundanum habet, ideo deponit, ut adire illam
hæreditatem possit, quam caro & sanguis possidere non
potest. Unde quivis estimare potest & debet, quam
optanda, & quam minimè formidanda sit homini mors,
quæ vere Christiano aliud nihil est, quam portus insani
æquoris hujus humanæ, & porta ac janua illius æternæ.
Ad hunc portum, hanc portam & januam æternæ vitæ
feliciter delata est octavâ hujus mensis die inter octa-
vam & nonam vespertinam matrona honestissima &
piissima ANNA RADENITIA, optimi ac laudatissi-
mi civis hujus Reipublicæ JOHANNIS TILEKEN
conjux

consuēta desideratissima, in Christo creatore & servatore
suo unico beatissimè defuncta. Nata fuit beata hæc
matrona Anno 1571. parentibus in hac urbe honestis ac
præcipuis; Patre civi & mercatore hujus Reip. insigni
MARTINO RADENICO, Matre vero **ANNA DOSSIA**, ex præcipuā hujus civitatis familiā oriundā,
cujus avus maternus Dn **HENRICUS DOSSIUS** in
Senatorium hujus Reip. ordinem cooptatus de urbe
hac & multis in illâ bonis olim præclarè moriūs fuit.
Præterea defuncta hæc foemina agnatos habuit viros
Medicos hujus Republicæ quondam præcipuos. Hujus
enim avia frater fuit M. **FRANCISCUS DE NE**,
laudatissimus quondam & famigerabilis hujus urbis Me-
dicus; Ejus verò matri frater fuit D. **NICOLAUS DOSSIUS**, & ipso inter medicos hujus urbis non po-
stremus, qui etiam moriens Medicinæ studiosos insigni
beneficio adficere, & eo ipso præclararam suam adfectio-
nem erga Academiam hanc testari voluit. Fratrem de-
niq; habuit beata hæc matrona M. **JOACHIMUM RADENITIUM** Medicinæ Candidatum, & Mathematicum non vulgarem.. Qui cum in illustri Regiomontanâ Academiâ Mathematicam Professor publicus jam
inauguratus esset, Seq. jam ad lectiones publicas paraf-
set, præmissâ de cœlo & sphæris cœlestibus publicâ dispu-
tatione, difficili morbo subtiò correptus mortale in vi-
tam cum æterna commutavit, & ibi Academiac & mul-
tis bonis triste sui desiderium reliquit. Unus adhuc fra-
ter beatae huic foeminæ in vivis superstes est, **HENRI- CUS RADENICUS**, vir honestus & civis hujus urbis
præcipuus; Una item soror **CATHARINA** viro do-
ctissimo & honestissimo **BARTOLDO RADELOFIO**
civi hujus urbis, & Notario præstanti, nupta. Fuit autem
hæc

hæc matrona in Deum pia, erga omnes humana, erga
pauperes benigna, in re domesticâ administrandâ dili-
gens & industria: quæ verbum Dei sedulò & diligenter
audivit, ejusq; inde à puerili ætate pia ac fidelis cul-
trix & amatrix fuit, & sacras conciones assidue frequen-
tavit. Marito suo JOHANNI TILEKEN civi hujus
Reipublicæ cultissimo, & nostri ordinis fautori & cul-
tori integerrimo, Anno elapsi sæculi 94. 12. Novembris
nupsit, & cum illo in pacato tranquillo & optando con-
jugio 21. annos vixit, cumq; duorū filiorum parentem fe-
cit. Quorum major natu CHRISTOPHORUS, præcla-
ræ exspectationis adolescentis, Academiæ nostræ studio-
sos, per Dei gratiam adhuc superat, & invivis est. Al-
ter JOHANNES natu minor, Anno 1608. 29. Augusti
natus, ejusdem Anni 23. Septembbris denatus est, & ad
illos qui in Christo Jesu moriuntur à matre, quæ jam
secuta est, præmissus fuit. Hæc optima matrona,
jam 16. propemodum hebdomadibus lecto continuè
adfixa, morbo vehementi ac contumaci, Hæcnicâ ni-
mirum febri, afflicta fuit, cuius contumax malignitas
cum omnia medicamenta sperneret, tandem 8. hujus
mensis Septembbris, mundo & rebus humanis valedi-
xit, & ad sedem beatorum, & sinum Abrahæ Patris
omnium credentium translata est. Hujus beatæ ani-
mæ relictæ corporis exuviae cum hodierno die horâ
primâ terræ demandandæ siut, monemus & hortamur
omnes jurisdictioni nostræ cives subjectos, ut in honorē
& solatium optimi viri, relicti vidui, & honestissimæ
familiaæ, hodie hora 1. in templo D. Mariæ sacro conve-
niant, & funus frequentes deducant, & suæ mortalita-
litatis memores hoc alij præstent, quod suo tempore
ab alijs sibi præstari optaverint. B. V. P. P. Rostochij
12. Septemb. Anno 1615.




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775828130/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775828130/phys_0016)

DFG

consux desideratissima, in Christo
 suo unico beatissime defuncta. I
 matrona Anno 1571. parentibus in
 præcipuis; Patre cive & mercator
MARTINO RADENICIO, M
DOSSIA, ex præcipuâ hujus civit
 ejus avus maternus Dn HENRI
 Senatorium hujus Reip. ordinem
 hâc & multis in illâ bonis olim pra
 Præterea defuncta hæc foemina ag
 Medicos hujus Reipublicæ quondam
 enim aviæ frater fuit M. FRANS
 laudatissimus quondam & famigera
 dicus; Ejus verò matris frater fu
DOSSIUS, & ipso inter medicos
 stremus, qui etiam moriens Medicis
 beneficio adficere, & eo ipso præcla
 nem erga Academiam hanc iecitari
 nq; habuit beatæ hæc matrona M.
RADENITIUM Medicinæ Candid
 ticum non vulgarem. Qui cum in
 tanâ Academiâ Mathemataram Prof
 inauguratus esset, Seq. jam ad lectio
 set præmissâ de cœlo & sphærâ cœle
 tatione, difficile morbo subtio cor
 tam cum æterna commutavit, & ibi
 tis bonis triste sui desiderium reliqu
 ter beatæ huic foeminæ in vivis sup
CUS RADENICIUS, vir honestus
 præcipuus; Una item sutor CATI
 offissimo & honestissimo BARTOLI
 civi hujus urbis, & Notario præstanti



ervarore
 eata hæc
 nestis ac
 p. insigni
ANNA
 oriundâ,
SIUS in
 de urbe
 us fuit.
 uit viros
 . Hujus
ENE,
 urbis Me
CLAUS
 non po
 s insigni
 adfectio
 rem de
M U M
 athema
 giomon
 us jam
 s paraf
 à dispu
 ale in vi
 & mul
 thuc fra
ENRI
 us urbis
 ro do
LOFIO
 autem
 hæc